

De execrandi formulis Plautinis Terentianisque observatio grammatica.

Initium disputationis facimus a decem exemplis Plautinis infra perscriptis. Trinummi 997 quo di te omnes — perdant. Stichus 262 *malum di tibi dent.* Ibid. 505 *ita di bene me ament.* Menaechm. 308 *qui di illos qui illic habitant perduint.* Persae 622 *noli flere. At di istam perdant.* Amphitr. 597 *ita di me ament.* Curcul. 137 *male di tibi faxint.* Ibid. 577 *at ita meae volsellae — bene me amassint.* Aulul. II, 2, 79 *istuc di bene vortant.* Casin. III, 4, 19 *quin hercle di te perdant.*

Hos quos perscripsi versus unusquisque videt communi inter se vinculo hoc coniunctos esse, quod execrationes vel vota continent qualia frequentari apud comicos poetas constat. Sed eosdem tamen a multitudine ceterorum segregatos esse iccirco volui, quod magna ex parte aliis quoque de causis suspecti communi omnes vitio paullo obscuriore laborant: quod si paucis quale sit exposuero, operae pretium fecisse fortasse non immerito videbor.

Etenim in votis et execrationibus conformandis omnes quotquot sunt veteres poetas Latinos observavi constanter eam tenere consuetudinem, ut, ubi pronomen demonstrativum vel personale pro obiecto est grammatico, *di* vocabulum vel *deorum* aliquod nomen pro subiecto, in simplicibus quidem execrationibus hoc praeponant, vel si plura sint subiecta, unum

saltem praemittant, illud autem postponant, idque nullo alio intercedente vocabulo: contra in eis, quae incipiunt a particulis execrationum propriis ut *qui, ut, ita, at, ulinam, sic, quin, hercle*, praeponant pronomen, postponant *di* subiectum. De illis autem exemplis hic nihil dictum volo, in quibus vel obiectum vel subiectum post verbum collocatum est: nam ea tantum regulae a me prolatae accommodantur, quae et subiectum et obiectum ante verbum positum habent. Exempla vero cum tam multa exstent ut ea plene et nominatim afferre facile putidae esse diligentiae videatur, nihilo tamen setius omnia ante oculos ponere constitui, quia id postulare demonstrandi necessitas videbatur. Quanquam verba ipsa saepius consulto decurtata apposui, ita tamen ut, quam vim habeant ad sententiam meam probandam, statim appareat. Repperi autem prioris generis exempla haec.

Apud Plautum Trinummi 384 *di te servassint*; 992 *di me perdant* (libri perperam *te*, quod tamen ad nostram rem nihil pertinet). Bacch. 457 *di te ament*. Mil. glor. 286 *di te perdant*; 833 *di me perdant*; 1038 *di tibi dent*; 1419 *di tibi bene faciant*. Stich. 595 *di te perduint*. Pseudul. 122 *di te — servent*; 250 *Iuppiter te perdat*; 271 *di te deaeque ament*; 934 *Iuppiter te mihi servet*; 1230 *di te perdant*; 1294 *di te ament*; Menaechm. 278 *di te amabunt*; 596 *di illum omnes perdant*; 666 *di vos perdant*. Mostell. 192 *di deaeque me omnes — interficiant* (sic Ritschelius: codex vetus a prima manu non habet illud *me*, quod secunda demum post *omnes* supra versum addidit); 222 *di me faciant* (*pol* addidit Ritschelius versus supplendi gratia inter *di* et *me*; secundum ea quae supra dixi post *me* erit collocandum); 341 *di te ament*; 463 *di te deaeque omnes faxint*; 668 *di istum perduint*; 684 *di te deaeque omnes funditus perdant*; 717, 806, 1130 *di te ament*. Persae 205 *di me amabunt*; 292 *di deaeque me omnes perdant*. Mercat. 967 *di te perdant*. Amphitr. 569 *Iuppiter te perdat*. Captiv. 138 *di te bene ament*; 355 *di tibi omnes — offerant*; 568 *Iuppiter te*

dique perdant; 909 *Diespiter te dique — perdant*. *Asinar.* 46 *di tibi dent*; 654 *di te servassint*. *Curcul.* 317 *Iuppiter te dique perdant*; 456 *di te ament*; 622 *Iuppiter te male perdat* (versui deest una syllaba, quare Fleckeisenus *at te Iuppiter e. q. s.*) *Rudentis* 569 *Iuppiter te perdat*; 885 *di te infelicient*; 1112 *Iuppiter te dique perdant*; 1225 *Hercules istum infelicit*; 1303 *di te ament*. *Casin.* II, 3, 30 *di me et te infelicient*; 57 *Hercules dique istam perdant*; 5, 16 *di te servassint*; (III, 5, 17 *pectus auris caput teque di perduint contra sententiam meam afferri non posse unusquisque intellegit*). *Aulul.* II, 2, 6 *di te ament*; IV, 4, 18 *di me perdant*; 31 *Iuppiter te dique perdant*. *Cistell.* II, 1, 20 *di me perdant*. *Epidic.* I, 1, 21 *di te perdant*; 64 *Iuppiter te perdat*. *Trucul.* II, 3, 10 *di me perduint*. *Poenul.* II, 1, 1 *di illum infelicient*; III, 2, 11 *di te perdant*; 33 *di te perduint*; 3, 54 *di deaeque vobis — dent*; 4, 30 *Diespiter vos perduint*; 5, 6 *di te ament*; IV, 2, 41 *di te — perduint*; 47 *Diespiter me sic amabit*. *Apud Terentium Andr.* IV, 4, 22, *Heaut. tim.* III, 3, 28 *di te eradicent*; V, 4, 15 *di istaec prohibeant*. *Adelph.* V, 7, 19 *di tibi — bene faciant*; 9, 21 *di tibi — offerant*. *Hecyr.* III, 4, 27 *di illum perduint*. *Phorm.* III, 2, 34 *di tibi omnes — duint*. *Apud ceteros comicos: Turpil.* 102 *di istunc perduint*. *Afran.* 264 *di te mactassint malo*; 359 *di tibi dent*.

Contra accipe iam exempla, ubi praecedit particula. *Plauti Trin.* 923 *qui istum di perdant*; 1024, *Bacch.* 111 *ita me di ament*; 892 *ita me Iuppiter — ament*. *Mil. glor.* 231 *at te Iuppiter bene amet*; 501 *at ita me di deaeque omnes ament*; 570 *at tibi di faciant*; 725 *ita me di deaeque ament*; 1403, *Stich.* 685, 754 *ita me di ament*; 742 *ita me Venus amoena amet*. *Pseudul.* 37 *at te di deaeque — servassint*; 836 *at te Iuppiter — perdant*; 943 *ita me di — ament*. *Menaechm.* 451 *qui illum di omnes perduint* (ubi qui *Camerarius*, quo vetus cod., *que decurt.*); 933 *qui te Iuppiter — perduint*; 1021 *at tibi di — faciant bene*. *Mostell.* 38 *at te*

Iuppiter dique omnes perdant; 170 *ita me di ament*; 520 *ita me di amabunt*. Persae 296 *qui te di deaeque*; 298 *ut istum di deaeque perdant*; 488 *at tibi di bene faciant*; 492 *ita me di ament*; 639 *ita me di bene ament*. Mercat. 710 *ut te omnes, Demipho, di perdunt*; 793 *at te, vicine, di deaeque perdunt*. Captiv. 537 *utinam te di prius perderent*; 622 *at ita me rex — faxit*. Asinar. 467 *hercle istum di omnes perdunt*. Curcul. 208 *ita me Venus amet*; 574 *at ita me machaera — bene iuvent* (quod est comice translatum a deis). Rudentis 1166 *qui te di omnes perdant*. Casin. II, 3, 20 *ut te bonus Mercurius perdat*; 4, 1 *qui illum di perdant*; 8, 16 *ita me di bene ament*. Aulul. I, 1, 11 *utinam me divi adaxint*; III, 5, 22 *ita me di amabunt*; IV, 10, 55 *ut illum di perdunt*. Cistell. II, 1, 35 *ita me di*; 36, 37, 38, 42, 43 *itaque me cet*. IV, 2, 76 *at vos Salus servassit*. Poenul. I, 2, 76, III, 1, 1, IV, 2, 5 *ita me di ament*; I, 3, 30, V, 4, 47 *ita me di amabunt*; 86 *at med ita di servant*; 5, 46 *ita me Iuppiter bene amet*. Terentii Andr. V, 4, 44 *ita me di ament*; IV, 1, 41 *at tibi di dunt*. Eunuch. II, 3, 11 *ut illum di perdant*; III, 1, 41 *at te di perdant*; 2, 21; IV, 1, 1 *ita me di ament*; V, 2, 43 *ita me di bene ament*; 8, 7 *ita me di ament*. Heaut. tim. II, 3, 67; 4, 3; III, 3, 8; IV, 3, 8 *ita me di ament*; III, 1, 54 *sic me di amabunt*; IV, 5, 1 *ita me di amabunt*; IV, 6, 6 *ut te quidem omnes di perdunt*; V, 1, 80; Adolph. IV, 7, 31; Hec. II, 1, 36; 3, 3; IV, 2, 3; 4, 20; V, 4, 24 *ita me di ament*; I, 2, 31 *ita me di amabunt*; 59 *at te di deaeque perdant*; II, 1, 9 *ita me di bene ament*; 2, 16 *at ita me di ament*; III, 2, 19 *utinam istuc ita di faxint*; 5, 19 *at istos invidios di perdant*. Phorm. I, 2, 73 *qui illum di omnes perdunt*; I, 3, 13 *ita me di bene ament*; IV, 4, 6 *ut di quidem omnes di — perdant*; V, 6, 43; 8, 61 *ita me di ament*. Ceterorum: Naev. 19 *ut illum di ferant*. Aquil. 1 *ut illum di perdant*. Caecil. 114 *ut te di omnes infelicit*. Pompon. 137 *at te di — mactassint malo*. Item in tragodia Enn. 288 *qui illum di — mactassint malo*.

Quin aliis nonnullis exemplis consideratis etiam longius mihi progrediendum esse video, ut nunquam, nisi *di* vel simile vocabulum sententiam inciperet, postpositum esse in votis et execrationibus pronomen confidenter affirmem. Vide Pseud. 936 *tantum boni tibi di immortales duint* (sic Ritscheli-
 us: *tantum tibi boni* codices); 1130 *malum, quod tibi di dabunt*. Mostell. 655 *malum quod isti di deaeque omnes duint*. Amphitr. 563 *malum quod tibi di dabunt*. Poen. I, 1, 80; III, 3, 74 *multa tibi di dent bona*; II, 1, 41 *tum me Iuppiter faciat*. Terent. Phorm. V, 8, 83 *malum quod isti di duint*.

In eis denique sententiis, quae propter externam formam proxime ad vota accedunt, tantum non semper eadem consuetudo observata est, velut in his: *si te di ament, di me adiuvant*. Nec plus uno exemplo memini quod repugnare videatur, Epidici II, 2, 8 *Id ego exérciocr. Di hércle omnés med ádiuvant* e. q. s., quae tamen verba etiam propter ingratum in ultima syllaba *omnes* vocabuli accentum haud cunctanter sic transposuerim: *di me hércle omnes ádiuvant*. Sed haec quidem, nec quod ad sententiam nec quod ad formam attinet, certis finibus circumscribi possunt, ut, si forte paucissima reperiantur contraria regulae meae de votis et execrationibus propositae, tamen nihil possint contra valere. Quamquam fateor in eam potius me sententiam inclinare, ut latius patere hanc miram quidem sed indubitata consuetudinem suspicer nec ad execrationes solas pertinuisse putem.

Nunc autem ut ad exempla in principio huius commentaliunculae perscripta revertamur, prae ceteris illa tractabimus, quibus ne a codicum quidem auctoritate fides est. Ac Stichii quidem v. 262 quod est in codicibus, *malum tibi di dent*, non minus esse servandum puto, quam eiusdem fabulae v. 505 *ita me di bene ament*, plane ut est in Terenti Eun. V, 2, 43. Menaechorum autem v. 308 praetulerim alteram quam Ritscheli-
 us proposuit emendationem: *qui di homines, qui illic habitant, perduint*; postposito enim contra

consuetudinem *illos* pronomini vix erit excusatio ab eo quod sequitur relativo parata. Venio iam ad illas fabulas, in quibus tractandis praeclara Ritscheli opera adhuc caremus, quod quam sit incommodum, unusquisque qui paulo acrius studium in comoediis Plautinis collocaverit, non sine magno suo et dolore et desiderio sentiet; sed interim tamen nihil nobis opis relictum est nisi ut Pareanis copiis utamur. Igitur *Amphitruonis* v. 597 cur Fleckeisenus scripserit *ita di me ament* nescio; item nescio cur in Parei editionibus *bene ante ament* sit intrusum; verum autem mihi videtur quod Bothius dedit: *neque, ita me di ament, credebam* e. q. s. In *Curculione* v. 131 cur Fleckeisenus ea quae sunt in libris: *male tibi di faciant*, ita transposuerit: *male di tibi faxint*, non nescio sane, nec si ita in codicibus legeretur, hoc quidem loco valde repugnarem; sed ut nunc res se habet, librorum scriptura servata proceleusmaticum illum *mále tibi*, in quo haud dubie Fleckeisenus offendit, in octonario tolerandum esse puto. Cfr. Ritscheli proleg. in Trin. p. 292. Contra qui proceleusmaticus extat in *Phormionis* II, 3, 47: *di tibi male faciant*, quamvis sit in octonario iambico, tamen apud Terentium non est ferendus, cum omnino a proceleusmatico in prima syllaba acuto hic poeta abstinuisse videatur; quare, cum de transpositione *tibi di malefaciant* propter ea quae supra exposui cogitari nequeat, potius *malfaciant* scribendum vel certe pronuntiandum est. *Aululariae* II, 2, 79 in verbis *istuc di bene vortant* ipsum *istuc* pronomen vel propter versum iusto longiorem delendum est, nec debebat Bothius criticus alioqui minime cautus ullo modo, cum primum ederet Plautum, de hac re dubitare, nedum postea *istuc* servare et ad finem eius versus qui antecedit reicere.

Postremo eum versum qui est *Curculionis* 577, ut ingenue fatear, quomodo emendem nescio. Ab altera enim parte scriptura a Fleckeiseno recepta: *at ita meae volsellae, pecten, speculum, calamistrum meum Bene me amassint* e. q. s. usui poetarum eo repugnat, quod *me* pronomen non statim

post *ita* particulam collocatum est. Quod si *ita* in libris manu scriptis legeretur, fortasse non reicerem propter totius loci conformationem, quae aliquid sane habet peculiare nec omni ex parte cum ceteris volis comparari potest; nunc autem illud maxime me movet, quod pro *meae* codices *me* habent plane convenienter consuetudini poetae, in proximo autem versu *me* vetus codex teste Pareo exhibet recentiore atramento inter lineas scriptum. Ab altera autem parte, quomodo hiatus in *bene amassint* ille satis probabiliter tolli possit, nisi ipsum *me* pronomem interponamus, non invenio. Quocumque tamen modo hic versus emendari posse videbitur, illud saltem mordicus est tenendum, non latere corruptelam in verbis *at ita me volsellae* *).

Restant igitur tria sola exempla non destituta codicum auctoritate, quae a communi poetarum consuetudine abhorreere videantur. Ea igitur equidem corrupta esse eo certius persuasum habeo, quo facilius video leniter transpositis verbis emendari posse. Ac primum quidem Persae v. 622 cum aliquot ab initio syllabarum lacuna sit in ceteris codicibus, ex perbono ut videtur Turnebi libro primus Lambinus sic edidit: DORD. *Noli flere.* VIRG. *ah. Tox. di istam perdant.* Quae etsi primo aspectu *ita* blandiuntur, ut probare vix dubites, tamen eam ob causam, nisi fallor, improbata sunt a Ritschelio, quod talia tam incisim pronuntiata, quale est illud *ah* virgini tributum, vix sunt moris Plautini. Quo accedit quod uni, non duabus personis data sunt quae legi in Ambrosiano libro potuerunt: NOLIFLERE A . . . ISTAMPERDANT. Inde autem quod a Ritschelio effectum est: DORD. *Noli flere.* TOX. *at di istam perdant*, cum ipsi illi quam munire studui legi repugnet, haud scio an sic potius, nihil ut offensionis relinquatur, scribendum sit: DORD. *Noli flere.* TOX. *at istam di perdant.* — Alter locus est in Trinummo v. 997: Quo

*) Certa ut puto emendatione scribendum est:

At ita me volsellae, pecten, speculum, calamistrum meum
Bene mactassint —.

di te omnes advenientem peregre perdant, Charmides. Ubi quod Iosephus Scaliger sensu quodam recti imbutus scribendum coniecit *qui te di omnes*, id ego certa ratione ductus restituendum esse existimo. Praeter transpositum enim pronomen etiam *qui* correcto opus est, cum *quo* ad tales sententias conformandas nusquam adhibitum reperiatur nisi Menaechm 451 in parte librorum, ubi iam Camerarium *qui* scripsisse supra commemoravi. — Restat ut transponendo tertium exemplum emendemus Casinae III, 4, 19 *quin hercle di te perdant*: pro quo scribendum esse *quin hercle te di perdant* nunc sua sponte unusquisque intellegit.

Scr. Bonnae.

Petrus Langen.
